



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Conradus Confessor 26. Novembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

nata est, utpote, quæ fidem docuerit, philosophos
 vicerit, & reduxerit quam plurimos ad ovile Iesu Chri-
 sti. Memineris, quod Deus scientiarum Dominus est. à
 quo Catharina hausit scientiam. Tu qui diurno, no-
 cturnoque studio tum corporis tum animi vires dete-
 ris, ascende ad scientiarum fontem, Postula sapien-
 tiam à Domino, & dabit affluenter. Verùm si quàm
 Deus tibi scientiam dederit, eà uti debes ad tuam ip-
 sius & aliorum salutem. An huc spectant vigiliæ tuæ?

3. Tertiam coronam adeptæ est, cum caput præbuit
 carnifici; poterat quidem feliciorẽ vitam ducere,
 quoniam pulchritudine, nobilitate, divitiis, ingenio
 præstabat, & ejus nuptias ambiebat imperator; ea
 tamen omnia flocci facit, ut moriatur pro Christo.
 Tu verò, si cupis Martyrum coronã donari, macera
 corpus, resiste voluptari, & avaritiæ, despice mundum:
nam carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiã restitisse;
de mundo triumphasse, pars magna Martyrii. August.

S. CONRADUS Confessor

26. Novembr.

*Ego sum via, veritas, & vita. Ne-
 mo venit ad Patrem, nisi per me.*

Christus Ioan. cap. 14.

CONRADUS Infulam Constantiensem acce-
 pit à D. Udalrico Augustanorum Præsule.
 Fuit cum uterque coenam frugalem san-

Y 4

ctis

Etis de Deo sermocinationibus aspergerent;
 Et erat is dies Iovi dicatus; jamque protracto
 ultra mediam noctem colloquio is expirave-
 rat, Venerique cesserat; cum fores nuntius
 pulsat, admittitur, auditur, & pernae frusto ab
 in advertente donatus dimittitur. Nimirum,
 agebat ille ad alios, hoc est, in Veneris odium
 carnem edomare; simul carnem è sinu para-
 bat producere, cum ecce piscem ostentat,
 jamque pisce suo magis mutus se ipsum dam-
 nat. Inambulabant aliàs animi causâ, & ca-
 dētes ex alto Rhēni aquas arbitrabantur; cum
 geminas inibi animas volucrem indutas tor-
 queri cognoverunt. Vix pro his ad aram fece-
 runt, & ad cœlos visæ sunt evolare: Cæterum
 Conradus priusquam obiret, Gebhardo no-
 bili adolescenti sedem suam insidenti vates
 fuit, sermō id post se facturum, quod nunc
 per ludum faceret. Dum ad aram sacrificat,
 delapsus araneus in calicem se infert. Quid fa-
 ceret? eodem poculo & vita & mors propina-
 bantur. Bibit tamen, & imperterritus à sacris
 mensæ accumbit. Ibi omnibus admirantibus
 ex ore araneus innoxius exit, meritò pedem
 efferre iussus à mensa, quem invocatus intule-
 rat. *Ex Membran, Eccl. Cont.*

MEDI-

MEDITATIO.

De Imitatione Jesu Christi.

1. **J**esus est *via*, in qua ambulare debet, qui vult ad cœlum pervenire, Jesus Dux noster est, ejus vestigiis insistere debemus. Et per dolores, tolerantias, & humiliationes ad gloriam contendere. Fallitur quisquis aliam viam vel alium Ducem quærit. Ah! Domine, sequar te, quocunque ieris, ad hortum Olivarum, ad Calvarium montem, ad Crucem.

2. Jesus est *Veritas* impius est, qui sacra ejus verba in dubium revocârit. Dixit autem in Evangelio, beatos esse pauperes, lugentes, persecutionem patientes. An Jesu credis? an potius mundo secus sentienti, & contrarium Evangelium promulganti! *Aut Christus*, inquit S. Bernardus *fallitur, aut mundus errat*. Non falleris, Domine mi, sed mundus. Heu! fallacias ejus jam pridem novi, eum tamen amo, & ipsi credo?

3. Jesus est *Vita*, venit in hunc mundum, ut homines vitam habeant, non terrenis bonis refertam, sed cœlestibus affluentem; hanc autem dat potissimum vitam in augustissimæ Eucharistiæ Sacramento. Quâ præparatione accedis ad hunc vivum panem? Ah! si tam sedulò curas valetudinem, ut tuearis vitam, miseram illam quidem, & brevibus spatiis definitam, quid non agere debes, ut aliquando vitam habeas beatam ac sempiternam? *Si tantâ curâ agitur, ut aliquando plus vivatur quomodo agendum est, ut semper vivatur*, S. Aug.